

## Beiheft

2

S 120

1290 Okt. 1.

[68]

Bischof Everhard von Münster befundet, daß der Knappe Bernhard von Asbeck und seine Mutter den Hof Schwederinghoff, Käpl. Österwick, dem Kloster Varlar für 62 Mf. verkauft haben.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, amen. Ut rerum rite gestarum plenius valeat memoria conservari, cautum est et utile videtur, ut ea, quae gesta sunt, praesentium iuuentur testimonio, quatenus omnia, sicuti gesta sunt, si necesse fuerit, liquere possint fidelium posteritati. Proinde nos Everhardus, Dei gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, dignum duximus cunctis Christi constare fidelibus, quod constituti coram nobis Bernardus famulus de Asbecke et mater sua domina Ludgardis, relicta quondam Brunonis militis dicti de Asbecke, recognoverunt, se curtim suam, quae dicitur Schwederinghoff, et casam adiacentem, sitas in parochia Osterwick, quae ipsis iure

proprietario pertinebant, cum agris, lignis, pratis, pascuis, rivis, omnibus hominibus ad dicta bona pertinentibus, ubicunque manent vel maneant, seu cum omnibus suis juribus et attinentiis venerabilibus viris domino Joanni praeposito et conventui in Varlar pro propriis bonis de consensu Svederi ac Gissele, fratris et sororis dicti Bernardi, et Mattheiae de Rassvelde, mariti Gisle praefatae, et cohaeredum suorum pro sexaginta et duobus marcis legalis monetae rationabiliter vendidisse. Qua summa recepta resignaverunt liberaliter predicta bona coram nobis in manus domini Lutberti, prioris ecclesiae Varensis, ac aliorum confratrum suorum vice praepositi et conventus jure haereditario perpetuo possidenda, penitus ab eis in perpetuum recedentes. Protestamur etiam Henricum de Hagenbeke famulum, judicem nostrum tunc temporis in Cossvelt, a Mattheia et Gisla uxore sua de Raessvelt vice nostra resignationem huiusmodi recepisse. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum una cum sigillo Bernardi famuli supradicti. Acta sunt haec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXX, in die Remigii confessoris, praesentibus et protestantibus Hermanno de Ludinghusen, Hermanno de Rethe et Henrico de Rodepe, Henrico Selekinne, Hermanno de Bunestorpe, Brunsteno de Jodevelde militibus; Hermanno de Ludinghusen, Svedero de Merevelde, Mattheo de Novo Castro, Godefrido de Koten, Henrico de Hagenbeke, Joanne Twent famulis; Henrico Divite, Bernardo Kercherinek, Godefrido Bisshopinck, Ecberto Bisshopinck seabinis Monasteriensis civitatis.

Kopie im Varlarer Archiv S. 66/67.